



burg
52



1.
1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.



13063

CIVIS N^o 15.

22

DEMOCRATICVS

11

Annunte DEO TER. OPT. MAX.

PRAESIDE

1654, 10

Viro Plur. Reverendo, Clarissimo, Excellen-
tissimoque,

Dn. JACOBO SCHALLERO, SS. Th. Doct.
Philos. Practicæ Professore celeberrimo, & Facultatis Philo-
sophicæ h.t. Decano Spectabili, Dn. Patrono meo ac Fau-
tore submissè venerando.

SOLENNITER

In publico ingeniorum Theatro exami-
nandum propositus

à

FRANCISCO Reisseisen
Argentoratensi

ad diem 20. Septemb.



ARGENTORATI,

Typis JOHAN-PETRI ab HEYDEN.

cl^o Isc LI.

6.

196





V I R O

Nobilitate virtutis, meritorum Amplitudine, Prudentia regenda civitatis

I L L U S T R I

DN. IOHANNI MICHAELI

STÆMLERO, inclytæ Argentoratensis Reipub.

**h. t. Consuli, nec non Tredecimviro longè
meritissimo;**

*Dn. Patrono, Cognato, Fautori, & Curatori, æternum venerando, tenue
hoc Academicum specimen in honoris & obsequii pignus offert atque
commendat, Eidemque*

Cultum & Observantiam!



S mihi benè beatèque cum in nostra,
tum in alia Republ. vivere creditur,
cujus animus non tam parendi, quam
regendi arte præditus, quovis tempo-
re communi utilitati inservire didicit,
ut sive ad gubernaculum vocetur, fide & pruden-
tia, sive in obsequio duret, cultu & observantia
Reip. prodesse possit. Quid enim aut dignitate
præstantius, honore illustrius, natura pulchrius?
quam Ingenium, quo nihil neque amplius, neque
melius in natura mortalium est, non suæ, sed com-
muni utilitati exhibere: majus certè quidquam est,



quam





quam imperiti suspicantur, qui dum ad penetralia hujus civilis prudentiæ penetrare nequeunt, quidquid lubet interim suspicantur. Nam si ii maximi habentur, qui in acie hinc & inde fortiter volitant, qui adversâ manu hostem feriunt aut fundunt, victoriaq; potiti, Triumphatores clamore omnium atq; voto urbem ingrediuntur; quis illum nō beatum & propè divinum dixerit? qui domi sine vi, sine sanguine, sed ingenii, consilii, authoritatis armis instructus, Remp. legibus ordinat, exemplo juvat. Quippe in bello fama nominis rerumq; gestarum gloria potiri, fortunæ sæpè beneficium est: verum enim verò egregiè & cum emolumento civium in Rep. versari, hoc virtutis opus atque prudentiæ. Habet quidem utrumque suum decus, splendorem, gloriam, & in bello clarum fieri magni æstimatur; sed alterum virtute magis subnixum, clarius splendidiusque refulget. Finge Marium aliquem ferocem atque strenuum, cujus corpori neque vires, viribus neque audacia deest, qui ardentibus oculis.

— *medios moriturus in hostes
irruit,* —

atque longè lateque inter illos stragem facit, hic quamvis laude sua non privandus, Ciceroni tamen



tamen alicui haud comparaverim, qui sola virtute atq; autoritate munitus, sceleratissimorum civium catervas exarmavit, atq; Romam florentissimam pulcherrimamque Remp. ex flamma atque ferro, & pæne ex faucibus fati ereptam, conservavit. Atqui hæc est illa virtus, quæ in mediis habitat Reip. visceribus, quæ rebus facta, factis fortunam adjicit, sine qua nulla humana societas coalescere, nulla Resp. stare potest. Et quis est qui existimet, Roman. imperium ad tale excrevisse fastigium, si tantum Romulos, Tullos, Mariosque, nec etiam Hortensios, Appios, Ciceronesq; tulisset; quorum tamen perpauci ab omni ævo extiterunt, qui domi bonis artibus instructi, sese Rempublicamve ordinavêre, imò excellentissimis etiam ingeniis magis defuit ars, quâ civem regerent, quam qua hostem superarent. Quod cum ita sit *Vir Nobilissime Amplissimeq;*, quis Te non prudentem sapientemq; dixerit? Qui *Summus* in hâc nostrâ Rep. summâ quoque prudentiâ civibus præesse soles, Tua namque & admirabilis natura, & singularis industria, Consulare Imperium ter sibi jam vindicavit, quorum unumquodque tantâ cum laude atq; honore gessisti, ut meritò apud omnes venerabilis Tui extet admiratio. Irem *Vir Nobilissime Amplissime-*

* * * 3

que



que per laudes Tuæ exquisitæ virtutis, si talis vis at-
que copia scribendi, qualis animus esset, quas, cum
facundia à meâ juventute adhuc absit, silentio præ-
terire cogor, præsertim cum sciam, magis semper
Tibi cordi fuisse, laudanda facere, quam laudari.
Quod autem patrocinium Tuum ambire non e-
rubuerim, tum argumenti dignitas, tum Tua in
summo magistratu, summa effecit humanitas,
quâ præcipuè bonarum artium studiosos Tibi de-
vincire soles. Accipe ergò *Vir Nobilissime Amplis-
simeque*, has meas studiorum primitias, animo, ut
soles, æquo, non quidem pretium amore Tuo di-
gnum, sed vinculum quo fortius Tibi adstringor:
Mea vis omnis in precibus atque votis sita est, quæ
quotidie ad D. T. O. M. fundo ut nimirum Tuam
Nobilissimam Amplitudinem, cujus pietate viget
Ecclesia, floret Resp., renascuntur Musarum ædes,
incolumen conservet, quo mihi aliisque, ejus pru-
dentia atque humanitate diutissimè frui liceat.
Vale Consul Nobilissimè ac fave clienti Tuo,

O & presidium & dulce decus meum!

Dabam Argentina è museo d. 30. Aug.

Anno. M. DC. LI.

T. Nobiliss. Amplitudinis
ad obsequia promptissimus

Franciscus Keißeissen
Author & Respondens.



CIVIS DEMOCRATICUS.

PROEMLUM.

Um hodierna plerumque ætas, incuriosa aliorum, virtutibus Principum decantandis, eorundemque vitiis deplorandis, sit occupata, non fuit consilium in re tam trita atque vulgari, ingenii tentare vires, sed tale mihi argumentum tractandum sumpsi, quod & dignitatem in se contineret, nec absque utilitate me dimitteret. De *Cive* igitur *Democratico* scribere animum induxi, argumentum est tam illustre, quam utile, ingenioque, modo dignum nactum esset, benignè ferviret. Non quidem dubito, fore plærosque, qui calumniæ telum in me acuent, audaciæque vitium objicient, quod ego & juvenis adhuc, & studiis civilibus necdum imbutus, alios informare, illisque præcepta tradere, non erubesco: Ita profecto esset, si tam informandialios, quam discendi animo accesserim, quod cum objicio, facile puto me veniam impetraturum, præcipuè apud illos, quorum candidum atque mite ingenium, sublevare potius aliquid tentantem, quam suppressere amat. Fateor enim Lector Benevole me non esse eâ, aut judicii gravitate, aut ingenii dexteritate, ad explanandam hujus argumenti dignitatem: faciam tamen quod pictorum discipuli, qui cum imaginem artificiosè exprimere nequeunt, summis tamen lineis repræsentare solent, sic ego non tam explicare, quam



quam adumbrare constitui. Ne autem diutius Te Lector honorande, in hoc vestibulo moremur, promitte nobis Tuum in legendo candorem, in iudicando æquitatem, de quo tamen dubitare, authoritatis Tuæ reverentia non permittit. Ego quod reliquum est, his beneficiis auctus, promptitudinem in Te, atque observantiam, nullo non tempore constantem approbabo. Sed mihi ad Civem nostrum eundem est.



Riusquam autem ad veram Civis Democratici tractationem descendamus, pauca prius denotione vocabuli prælibanda sunt, quorum ductum cætera subinde sequantur.

Etymologiam igitur quod attinet, Civis utpote primitivum à nullo descendit, ergo vox Democraticus erit explicanda diciturque is Democraticus qui privilegio atque jure Democratix fruitur. Trahit autem Democratia originem suam à græco vocabulo *δήμος* populus, & *κραλῆω* impero, h. e. populare imperium, seu populi Principatus; Ubi notandum per populum intelligi, Nobiles & Ignobiles, Optimates & Plebeios, Divites & Pauperes, quamvis interdum populus solam plebem denotet ut videre est apud *Rosin. antiq. Rom an. l. 1. 7.* Nonnullis Democratia idem sonat quod Timocratia, à græco *τίμα* quod nobis census. Propius ii accedunt qui pro Democratia ponunt Politia, quamvis hæc vox alias videtur Rerump. formas denotare: Sed nihil frequentius quam Etymologias vel latiores esse, vel contractiores, vel rebus ipsis adversas. Nobis tamen Democratix vocabulum magis arridet, utpote ab optimis Auctoribus receptum usurpatumque; quapropter non diu Etymologiae imoremur.

Nunc prolato pede, varium hujus vocis usum, quem græci *δηωνυμίαν* vocant, ostendemus: sumitur autem vox civis aliquando late & generaliter, comprehenditque omnes aliqujus civitatis quoquo modo participes, interdum etiam relatè & improprie, habito tantum respectu ad ipsam *Rep.* administra-

nistrationem. Et ita cives hodie dicuntur omnes subditi, imo saepe absolute, non habito respectu an subjectus sit vel non, sed simpliciter reputato, an societatis civilis particeps sit, Nobis vero strictè specialiter & propriè civis sumitur, intelligimusque civem *κατ' ἐξοχήν*, & talem, qui ut Romani quondam loquebantur, optima lege civis est; Germanice enim Bürger à græco, *πύργος* latine burgus, quod urbem sive castellum denotat, vide tamen quæ doctissimus Vossius, *lib. 2. de vit. sermon.* de hac derivatione profert. Sciendum autem per vocabulum civis non intelligi nomen incolarum, seu forensium, qui per aliquod tempus in civitate degunt, jureque ejusdem fruuntur, veluti tempore nundinarum, vel si circa judicia litibus distineantur, nam in foro litigare & judicium accipere, exteris quoque & mercatoribus licet, quod olim apud Athenienses etiam illis concessum erat, qui proprium Peireæo magistratum constituerunt, quo mercatores dijudicandis litibus uterentur. Hi enim licet communionem fori & judiciorum fruuntur, cives tamen perfectos haud dixerim, sed secundum quid tantum & analogicè, qui commune quidem civitatis jus (dum sive cives sive alios in foro convenire illis permissum est) participant, ad honores tamen publicos non admittuntur. Eodem quoque modo advenas excludo, h. e. illos qui vel egestate vel belli incommodo compulsi, sedem suam mutare, aliique civitati operam locare coguntur. & hæcenus de vario hujus vocis usu.

Progrediendum est ad Realem civis Democratici tractationem, ubi primum nobis occurrit definitio, quam ita tradimus, quod sit. Homo liber cui habilitas est participandi magistratum publicum, judicarium & deliberativum; quam partim ex Bodino partim ex Aristotele hausimus; Diximus autem liber, quoniam secundum opinionem summi Philosophi, fundamentum, principium, scopus & finis Democratix est libertas, quæ huic soli Reip. propria, & peculiaris, non illam quidem intelligo, quæ præcipiti animi impetu gubernatur, quæ in intemperantia & in quidlibet rei faciendi

A

licen-

licentiâ beatitudinem quærit, sed quæ hæc omnia improbat, qualem sc. expetiverunt Athenienses teste, *Car. Sigon. l. i. de Rep. Athen.* Hæc illa est, qua nihil melius & præstantius vel conceptis votis optari potest, cujus dulcis nominis desiderio, non solum homines, sed etiam cætera animalia, sensus omnis expertia trahuntur, quæ si incluferis licet copiosius alantur, quam si essent libera, non tamen facile se contineri patientur, *Cic. l. 5. Tusc. quæst.* Hæc nimirum animum nostrum excitat, mentem allicit, & ad magna assurgere jubet. Nam licet virtus nulla vi premitur, nullis vinculis coerceatur, quæ quidquid extra animum patitur, infra illius sensum est, tamen ubi corpori servitium imponitur, ipsa latere nonnunquam cogitur. Multa certe egregia ingenia ob id ipsum sæpe interierunt, quoniam ipsis spatium non dabatur, vires animi atque virtutes explicandi. Et quis est qui existimet, Romanum imperium ad tantum excrevisse fastigium, nisi in libertatem vindicati fuissent, tum enim cœperunt se magis magisque extollere ingeniumque in promptu habere. Græci quoque quamdiu penes unum summa rerum fuit, nihil egregium & quod laude dignum esset, effecerunt, postquam vero libertas illis data est, maxima quæque facinora ediderunt, clarissimamque sui nominis adepti sunt famam. Sic Atheniensium Respublica dum popularis extitit, libertateque fruebatur, domi expers fuit Tyrannidis, inviolata à barbaris, libera à seditionibus, eodemque temporum intervallo extiterunt, quæcunque Athenienses memoratu digna gessere, quippe tum floruerunt omnes, qui aut bellica laude, aut senatoriâ, aut doctrinæ, aut eloquentiæ gloriâ, Athenis unquam vixerunt, ut colligere est ex *Car. Sigon. lib. 1. de Rep. Athen.* Et quid longius ad veterum exempla? Nonne Helvetiorum Respublica felicissimè libertatem suam tuetur, pulcherrimeque inter cæteras eminet: Hæc certe exempla confirmant, quod Seneca gravissimus rerum æstimator dicit.

Ingenia melius se in laudes ferunt,

Si nobilem animum vegeta libertas alit;

Jure ergo inæstimabilem rem esse duxerunt. *Vlpian. lib. 1. Pandect. nec non Justin. l. 1. Instit. quibus ex caus. manum. non lic.*

Nec

Nec miror Atheniensibus omnia experiri nec libertatem prius, quam vitam deponere decretum fuisse; Clariss. Freinshemius, *l. 1. suppl. in Curt.* quibus nullo pretio libertas venalis fuit, *Iust. 2. 4.* Abjecti ergo illi atque viles quibus illa vilis, ei enim omnia venalia sunt, cui libertas: Horum certe conditio mihi eadem videtur, quæ servorum, qua tamen nihil miserius:

Et quem Iupiter odit servum hunc primum facit. Plaut.

Effectus ex libertate proficiscens, est *ισονομία*, juris æqualitas, quæ iis verbis continetur: Cui habitas est, participandi magistratum publicum, judicarium & deliberativum; *Hæc summa est inquit Bodinus libertatis, ut omnes omnibus æquari possint, nec aliter parere velint, quã eâ conditione ut vicissim imperent iis, quibus paruerunt.* Hic nimirum finis Democratia, ut omnia sint æqua, nec magis quisquam sibi similis, quam omnes omnium, quæ certe æqualitas, fundamentum societatis humanæ & incolumitatis, homines enim eadem conditione à creatore suo creati, jure quoque eodem gaudent, quo si destituantur dolent, auxiliumque à vi quærunt, æquo animo haud ferentes, se laborum, periculorum impendiorumque, participes, rerum vero meliorum usu privari, imo hinc origo civitatis. Nam primi patres familiars nunquam in civilem societatem conspirassent, si tantum alienæ libidini prostituere, & omnium publicarum & communium rerum causas à se amoliri voluissent. Ideo vero coivere, ut rebus suis melius communi opera consulerent. *Ambros. in Hexam. Ab initio exemplo avium homines Politiam cœperunt, ut communis esset labor, communis dignitas, per vices singuli partiri curas discerent, nemo esset honoris expers, nullus immunis labore.* Neque Bodinus *l. 1. de Rep. c. 6.* contrarium evincit, quando contra *Philos. l. 3. pol. cap. 1.* disputat, ac si relinqueret tamen Magistratus, Parentes sive Obedientes eriperet. Nam non tam absurdus est Aristoteles, ut dicat, civem esse magistratum, sed *Magistratus capacem & participem.* Omnes enim cives simul Magistratus esse non possunt: possunt tamen omnes *μελέχων*, capaces esse Magistratus. Quo vocabulo *ἀρχὴν l. c.* non propriè dictus Magistratus, sed omne deliberandi, consultandique, jus. Neque alterum argumentum Bodini pugnat

nat contra Philos. sc. sic in Regno, Tyrannide, Aristocratia, Democratia
 non dari cives. Nam civis vocabulum ut est analogum ita Philos.
 perfectius analogum definire voluit, sc. qui *μάλιστα ἐσι πολίτης*
maxime civis est, qualis in Democratia, ubi servatur proportio
 Arithmetica, tantum datur in reliquis, quantum ratio Reip.
 patitur. Neque enim Regnum vel Aristocratia, per se & sui na-
 tura populum totaliter excludit à suffragiis. Nam & ordines
 statusque, sua comitia, suos conventus habent: & in Oppidis,
 pagisque populus omnino admittitur, quod attinet exem-
 plum Atheniensium à Bodino allatum, illud ex *Plutarcho in vita*
Thesei refellitur. Theseus neminem removet: *Huc adesto omnis po-*
pulus, clamavit Præco. Quamvis autem Solon postea fecem ple-
 bis removerit à magistratu, & leges Draconis, teste *Plutarcho in*
vita Solonis, in hoc correxerit, attamen ad conciones, ad suffragia
 admisit, l. 2. pol. c. ult. & l. 3. pol. cap. 7. sicut etiam *capite censi* apud
 Romanos non admittebantur. *Val. Max.* l. 2. cap. 3. Sed tamen ex
 instituto Servii ad suffragia vocabantur. *Liv. lib. 1.* Postea verò
 Populo Atheniensi nihil non indulserunt Themistocles, Ari-
 stides, & Pericles, ut gratiam sibi suffragiorum multitudine
 admercarentur. vid *Plutarch. in Themist. Aristid. Pericl. & Xenoph. de*
Rep. Atheniens. Hac ratione Romani olim commoti, acquiesce-
 re prius non voluerunt, quam cum ipsis magistratum partici-
 patio communicaretur, hinc seditio illa quæ ut sedaretur, ple-
 beii quoque magistratus creati sunt. Distinguimus autem
 magistratum cum Aristotele in judicarium, & deliberati-
 vum; Iudices olim ii fuerunt, quæ à magistratu jus dicente da-
 ti, de jure statuerunt, hi causâ cum privatâ, tū publicâ, cognitâ,
 jure & legibus Rom. de illa decernebant, e. g. cum olim Romæ
 extra ordinem, à magistratu quæstio de Bachanalibus sacrisque
 nocturnis, consulibus mandata est, apud *Liv. 39. 14.* quod hodie-
 no tempore adhuc usitatum, *wann etliche Herren eine sach zu-*
schichten deputieret werden. Hi vero optimi quique erant, quod
 Cicero his verbis ostendit; Prætores urbanos juratos optimum
 quemque in selectum judicem referre: eligebanturque, ex cer-
 to plerumque ordine, senatorio sc. quod à Romulo statim ob-
 tinuit

tinuit; Sic enim *Dyonis. Halicarn.* *Judicia patritiis à Romulo tributa erant, cui Polybius lib. 6. assentit.* Postea vero nitente tribuno plebis C. sc. Gracho, illorum potestas ad Equites translata est, de quo Livium atque Paterculum auctores legas. Posterior, nempe deliberativus, in eo discrepat à judicario, quoniam is dicitur deliberativus, ubi omnes aut major pars senatus, suffragium de rebus dijudicandis fert suum; quemadmodum olim de Carthagine æmula Imperii Romani delenda totus senatus deliberabat, ita ut communi consensu sederit sententia, illam delendam esse: Item cum de Catilinæ sociorumque ejus furore consuleretur, frequens senatus judicaverat illos contra Remp. fecisse; interdum tamen omnes, quicumque magistratum gerunt, potestatemque jus dicendi habent, Judices appellantur, quod notandum.

Generaliter igitur cive nostro considerato, pergimus ad specialem sive *πραγματολογικὴν* ejus tractationem, eumque primo consideramus, ut in civitatem introducendus, ubi occurrunt modi quibus civitas acquiritur, qui sunt juxta *l. i. ff. ad mun. & l. 7. C. de incol.* Cum autem is optimo jure civis dicatur, non qui creatur sed qui nascitur, merito primum locum obtinendi civitatem attribuunt Nativitati, scilicet si quis parentes cives habeat, quod olim apud veteres requirebatur, ut, teste Plutarcho, apud Athenienses civis non habitus est, nisi ex utroque cive parente genitus, imo *Aristot. l. 3. Pol. 1.* scribit, apud veteres non tantum parentibus civibus opus fuisse ad civitatem obtinendam, sed multos etiam avos proavosque requisivisse. Postea tamen plebæque, gentes, illos cives judicabant, quibus alteruter parentum esset civis. Ut Athenienses, quod Pericles rogatione ad populum perlata obtinuit. Nam cum legitimis ipsius filiis peste absumptis, unicum tantum reliquum haberet filium, petiit à populo, ut civis esset, qui modo patrem civem haberet: Sic quoque apud Romanos uterque ab initio parens civis requirebatur, postea vero non tantum is civis dictus est, qui patrem civem habebat, sed ulterius etiam progressum, auctoreque Divo Adriano S. C. to. decretum est, ut si uxor civis Romana sit,

A 3

& pater

& pater latinus, partus quoque civis Romanus fiat: Verum convenientius videtur, si partus originem referat ad patrem, tanquam ad caput familiae nam cum filius in potestate patris sit, haud absurdum videtur, si in hoc quoque illum sequatur; quod Canulejus apud Livium affirmat: *Patrem*, inquit, *sequitur Soboles*. Sed quaestio quoque hoc loco oritur, num Spurius h. e. illi qui incerto patre editi sunt, quos vulgo conceptos vocamus in civium numerum sint recipiendi: Videntur lege divina à Reip. muneribus removendi, quippe quos ipse etiam Deus, Ecclesia excludit, extat divinum illud mandatum, Deuter. cap. 23. Non ingrediatur mamzer. h. e. de scorto natus in Ecclesiam Domini, usq; ad decimam generationem; Hinc Judaei spurios nunquam in civitatem receperunt suam, & semper ab aliis Rebuspubl. exclusi sunt, quibus matrimonio suus adhuc constabat honos; causam facile subministrat ipsa ratio, quoniam plerunque liberi parentibus similes; Redit enim ad auctores genus, stirpemque primam degener sanguis refert, quod malum non tam à naturæ vitio, quam à vitiosa institutione nascitur: 2. Conjugii quoque castitas violetur, si idem honos spuris, qui legitimis esset, familiaeque dignitas facile caderet, nisi incestæ libidines reprimerentur, justaque liberum procreatio incorrupta servaretur: 3. Honestati contrariaretur, illos homines, qui mandato divino impingunt, adhuc fovere, illorumque liberos civitatis honore dignari, cum multo magis poena requirenda sit, quâ illud malum, per quod tota sæpe regna interierunt, à Rep. repellatur. Verum enim verò non omnes à Rep. removendos esse, quibus natura hanc maculam inussit, tum Sacra, tum profana docent historiae monumenta. Si enim præclara in aliquo virtus eniteat, meritaque eius erga Rempub. extent eximia, extra dubium est, quin Civitas illi sit communicanda. Quippe ob hanc præcipuè causam Hebraei Jephthen, virum & ingenio & manu validum atque strenuum, ducem sibi postularunt, videbant enim virum hunc naturæ defectum virtute rursus compensare, atque longè maximè inter cæteros eminere, quapropter illum, quem paulò ante ob maternæ

ternæ

ternæ originis inhonestatem hæreditate ejecerunt, ducem sibi præfecerunt, ejusque auspicio atque ductu victoriam ab hostibus laudabiliter obtinuerunt. Nullum enim in incestuato filio est delictum, sed alieno malo laborat, *l. 7. C. nat. liber.* Iam autem non impedienda est dignitas ejus qui nihil admisit. *l. 6. ff. de Decur.* Cui assentit SS. *Ezech. 18.* filius non portabit peccata patris; anima quæ peccaverit ipsa moriatur, præsertim si diligit DEUM ejusque mandata observet. Quapropter minimè dubitandum, spurios etiam interdum cives fieri posse, ita tamen si præcesserit justa legitimatio. De triplici Legitimationis modo; oblatione Curia, subsequenti matrimonio, & rescripto Principis, vid. Jurisconf.

Secundus modus obtinendi civitatem est Cooptatio; Scilicet si quis peregrinus in civium numerum conscribitur, quem modum veteres quoque tenuisse pro vero constat: Quæritur autem primò, An omnibus peregrinis civitas sit communicanda? In Romanam, maximam ac pulcherrimam ab omni ævo Remp. intuentibus, obveniet, non tantum peregrinis, sed etiam hostibus illam patuisse: verba sunt. *Cicer. pro Balbo.* *Illud verò sine ulla dubitatione maximè nostrum fundavit imperium, & pop. Roman. nomen auxit, quod Princeps ille creator hujus Urbis Romulus fœdere Sabino docuit, etiam hostibus recipiendis augeri hanc civitatem oportere, cujusque auctoritate & exemplo nunquam est intermissa à majoribus nostris largitio & communicatio civitatis, quod confirmat; Tacitus, his verbis: Conditor noster Romulus tantum sapientia valuit, ut plerosque populos eodem die hostes, dein cives habuerit. II. Annal. 25. 7.* eodem quoque modo Theseus Athenas auxit; Quorum tamen factum jure castigat *Halicarn. l. 4. Antiq. Rom.* Imperitiæ illos arguens, qui quoslibet externos ad jus civitatis admittunt, non inquirendo in eorum fortunam, cum sæpè pro civibus hostes recipiantur, qui si statum Reipubl. satis exploraverint, in exitium denique ejus armantur. Sic Sextus Tarquinii superbi filius, Gabiis imposuit, qui verbis ejus ad fraudem compositis adeò crediderunt, ut summam etiam Reipubl. ad illum deferrent, ita ut Pater non potentior Romæ, quam filius Gabiis esset, Sextus verò

verò expectato tempore, uno prælio omnes in potestatem patris tradidit. *Livius l. 1. cap. 54.* Hoc modo Zopyrus beneficium quo Babylonii illum in urbem receperunt, proditione remuneravit. *Iust. l. 10.* Longè certe prudentiores fuerunt Corinthij, jura sua atque privilegia difficulter exteris cōmunicando quod ex Legatorum responso, Alexandro M. dato, licet existimare, nemini unquam civitatem dedimus, quam Tibi & Herculi. *Sen de benef. cap. 13.* Meritò ergo Cæsari vitio vertitur quod non singulis tantum hominibus, sed etiam integris nationibus civitatem assignasset, & jure Augustus, Liviæ, pro quodam Tributario Gallo roganti, civitatem negavit, his additis verbis: *se facilius passurum fisco detrabi aliquid, quam civitatis Romanae vulgari honorem.* *Suet. cap. 40.* sciendum tamen, non omnes prorsus excludendos esse, nam omnino peregrinos usu urbis prohibere, in humanum esset, dicit *Cic. l. 3. de offic.* Præsertim si cives virtute longè præstent, vel si alio modo Reipubl. utilitatem promovere possint, tum enim virtus cujunque non patria existimanda, ut vult *Dio. in Nerva.* Roma non dubitavit M. Perpennam natione Græcum, & L. Cornelium Balbum Gaditarum Consules creare, imò clarissimæ ac præcipuæ Romanæ familiæ ab exteris originem suam ducebant, ut videre est ex *C. Taciti Ann. 11. cap. 24.* Et si ratio instituti non obstaret percensere possem exempla eorum, quos Roma, aliæque gentes, non tantum in civium numerum receperunt, sed & per omnes honorum gradus ad summum usque Imperium extulerunt.

Nè autem latius me diffundam ad secundam quæstionem propero: An sc. homines potentes, possunt fieri cives? Hi cum plerunq; suæ dominationi quam communi libertati amiciores sunt, Honorarii potius, quam cives esse possunt, hoc est, tales quibus honoris causa jus civitatis tribuitur ita tamen, ut nullo teneantur imperio, munere vel onere necessario. Sic Hercules & Alexander M. à Corinthiis, Antigonus & Demetrius, ab Atheniensibus, Ludovicus XI. cæterique Francorum Reges & Helvetiis, civitate donati sunt: Maximè quippe in Democratia formidabilis potentia, quæ exitiosa æqualitati atque libertati;

Hinc

Hinc Athenienses Ostracismum, Lacedæmonii vero Petalismū excogitaverunt; quo illos, quos potentia inter cæteros emine-
re viderunt, in exilium ejicerent, sc. ut potentia illorum minue-
retur, quorum tamen factum valde videtur improbandum, pro-
hibendum enim ipsis fuisset, ne potentia illorum nimium ex-
cresceret, quam auctam ad eò & supra modum deprimere. Hujus
loci est illud Ovidii l. 1. de remed. amor.

Principiis obsta, serò medicina paratur,

Cum mala per longas invaluere moras.

Facile quippe malum nascens quam inveteratum deprimi po-
test. Et quanta existimes clade, Themistoclem, Alcibiadem,
aliosque, quibus summis cum Regibus in exilio amicitia fuerat,
patriam potuisse affligere, nisi amor illos & charitas retinuis-
set: sed hoc est commune vitium in magnis liberisque civita-
tibus, ut invidia gloriæ comes sit, & libenter de iis detrahant,
quos emergere vident altius.

Tertia sequitur Quæstio, num peregrinæ Religioni
addicti, cives fieri possint? Sacras si evolvamus paginas, illa
diversitas planè rejicitur, *Iohann. Epist. 2. expressis verbis, si quis
pervenit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite illum recipere: nec
certe unquam societas, aut Respub. stabit, ubi tam infinita hæc
libertas, & Religionem evertit, quisquis hanc libertatem indu-
cit. Ita profecto est; quantas enim semper attulerit clades,
Religionum hæc confusio, omnium seculorum exempla affa-
tim loquuntur. Sanctius E. philosophamur, si negativæ sen-
tentiæ calculum addamus. Μη γένεσθαι ἐλεροζωγῆντες ἀπίστοις; No-
lite jugum ducere cum infidelibus &c. 2 Cor. 6. v. 14. quæ concordia
Christo cum Belial. vers. 15. ἀφοείθετε Separamini vers. 17. ἐκκλίνατε
ἀπ' αὐτῶν, declinate ab eis: Rom. 16. vers. 17. τῆς ἀποτρέψε, istos aver-
sare, sc. qui inanem tantum μόρφωσιν sive speciem sive simula-
crum pietatis habent. 2. Thim. 3. vers. 5. μὴ συναναμίγνυθε αὐτοῖς, ne
commercium habete cum eo. 2. Thes. 3. vers. 14. Huc etiam per-
tinent allegoriæ V. T. de agro non conferendo diversis seminibus. Levit.
19. vers. 19. de veste quæ ex duobus texta est ibid. Exemplo Josaphati
illustramus, 2. Paral. c. 19. vers. 2. qui amicitia, cum impio Rege,*

B

contra.

contracta, merebatur iram Domini. Addimus Gentilem Philoſ.
 πρῶτον ἢ περὶ θεῶν ἐπιμέλεια. *Primum est curatio rerum divinarum.* 7.
 pol. c. 8. Scimus τὰς θεὰς ἐννεσέρευσ εἶναι τοῖς μᾶλλον αὐτὰς τιμῶσι. Deos
 proniores esse in eos, qui maxime illos colunt. Arist. Rhetor. ad Ale-
 xand. Vnde non mirum, si pro eo imperio augenda custodiendoque, per-
 tinax Deorum indulgentia semper excubat: quod tam serupulosa cura
 parvula quoque momenta religionis examinat. Val. Max. l. 1. c. 1. n. 6.
 adde & n. 7. Et quis est qui ignem Religionem συνεκτικὸν ἀπάσης
 κοινωνίας, vinculum omnis societatis esse. Plutarch contr. Colot. sine
 qua vita hominum stultitia, scelere, immanitate, completur. Lact. de Ira.
 l. 1. c. 8. Callidissimus ille Politicus Mæcenas, Principi suo sua-
 det, coercendos ξενίζοντας religionis, non tam Deorum causa, sed
 quia multos impellunt ad mutationem rerum. Vnde conjurationes, seditiones,
 conciliabula existunt, res profecto minime conducibiles Principatui. Atque
 hinc Julianus Imperator, omnes Religiones permittit, ut dissen-
 siones, augente licentia, non timeret unanimantem postea plebem. Ammi-
 anus Marcell l. 22. c. 7. & qui non in aliis prompte dissident, qui
 in salutis ipsa summa dissident? Huc quoque, tendit scopus
 præcipuus omnis Politias, qui est ut Ecclesia plantetur, de-
 fendatur, & c. Erunt Reges nutrices tui Esa. 49. v. 23. Leo ad Leonem
 Imp. Regia potestas non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesie
 præsidium est collata. Quamvis autem ab initio Sectarii promit-
 tant humilitatem; attamen summa pelle decori, vapidog gerunt
 sub pectore vulpem. Patere eos paulatim crescere. Videbis
 multorum, qua imbecilla sunt labere vitia: non minus ausura, cum illis
 vires sua placuerint. Senec. Epist. 42.

Dices. At aliquando utile est Reipublicæ, Sectarios divi-
 tes recipere. Δεῖ δὴ χερμάτων ἢ ἀνευτέλων εἶδεν ἐστὶ γενέσθαι τῶν θεῶν.
 Opus sunt opes, & sine iis nihil fiet, quod opus. Demost. Olynth. 2. Neque
 enim quies gentium sine armis, nec arma sine stipendiis, nec stipendia sine
 tributis haberi queunt. Tac. Hist. IV. 74. 2. Responsionis loco ad-
 ducere possem, totum illum discursum Ciceronis l. 3. Offic. ubi
 prolixè disputat, utile non posse separari ab honesto. Et ut in Philo-
 sophia profana, omnis utilitas spernenda, quæ non & honesta
 sit: ita in sanctiori Philosophia, nullum utile quod non & pium. Pie-
 tas ve-

tas verum divitiarum fundamentum, hæc omnem benedictionem nobis conciliat. *Quærite primum regnum cælorum, & ista omnia adjicientur vobis* Matth. 6. v. 33. Timor Domini πάντα τὸν οἶκον ὑψῶν ἐπέπλησε, omnem domum implet. Syrac. 1. v. 20. Confer. Pl. 37. v. 4. Pl. 25. v. 13. εὐσεβεία πᾶσι πάντων ὠφέλιμος ἐστίν. Pietas ad omnia utilis est, ut quæ promissionem habeat, vite presentis & futurae. 1. Tim. 4. vers. 8. Notabilis locus Aggæi. c. 1. vers. 9. *Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus: & intulistis in domum, & exsufflavi illud.* Scilicet etiam magnæ opes sine Dei benedictione dilabuntur, & dispereunt Frustra E. opes quæruntur, ubi pietas detrimentum patitur. Josaphatus 2. Chron. 20. v. 37. magnas jam spe devoraverat divitias; sed quia se conjunxerat cum impio Rege, Dominus dirupit opera, contriteque sunt naves &c. Refer huc elegantem illum discursum Prophetæ cum Rege Amasia. 2. Chron. 25. v. 6. 7. 8. 9. ut dimitteret à se impios, tanquam impedimenta & obstacula victoriæ, Conclusio erat. *Habet Dominus, unde tibi dare possit, multo his plura.* Concludimus E. cum ortus & interitus Rerumpub. à Deo dependeat; nihil esse utile Reip. quod Deo displicet.

Quid vero de Judæis statuam, possunt ne illi fieri cives? minime. Nolumus rationes plures, quod ab aliis factum, adducere. Sufficiant ista Philosophica. Quod Judæus ad nullum prorsus munus publicum, maxime cum dignitate conjunctum, admitti possit. l. ult. C. de Judæis & Cælic. quod nulla ipsis permittantur, prædia & bona immobilia. Civis autem est, qui aditum habet ad magistratum. An vero totaliter excludendi? altior est quæstio. Nos distinguimus inter eorum receptionem novam & receptorum tolerantiam. Quæ Resp. ab hoc genere hominum hætenus libera fuit, in eam, nisi urgentissimis & gravissimis de causis recipiendi sunt. Quod Illustrissimi Saxonix Duces, & laudatissima Resp. Argent. satis improbant. Quando vero in Remp. aliquam jam olim recepti sunt, aut aliquo privilegio gaudent, non debent temere expelli, præsertim furioso promiscuæ plebis impetu. Rationes ab aliis prolixè adducuntur, nos brevitati studemus.

Coronidis loco quæstio hoc loco videtur inferenda: An quis duarum Civitatum possit esse Civis? Apud Veteres, præsertim Romanos id fieri haud poterat. Hinc illa Ciceronis verba: *Iure Romano neminem posse duarum Civitatum Civem fieri, amittiq; Civitatem, quando quis in aliam recipitur*; Pro Cæcin, nec non pro Balbo. Idem alibi exclamat; *ô Iura præclara atq; divinitus jam à principio Romani nominis à majoribus nostris comparata, ne quis nostrum plus, quam unius civitatis civis esse possit*. Ob eam causam Pomponius Atticus beneficium, quo Athenienses civem facere studuerunt, noluit accipere, quod nonnulli ita interpretabantur, amitti civitatem Romanã, alia ascita. Rationem, cur quis duarum civitatum civis esse nequiverat, prudenter Cicero prioribus subnectit; *disimilitudo enim Civitatum, varietatem juris habeat, necesse est*, jam si alteri harum debitum officium præstet, illiusque jura, ut debet, diligenter observet, fieri haud poterit, quin alteram lædat. Afferunt & alias rationes, dicuntque sæpè fieri, ut dissensio inter diversas Resp. oriatur: Quid verò utriusque civis hic faciat; otia bitur ne? fidem qua Civitati, tanquam patriæ succurrere obstrictus est, negligat, atq; frangat? nunquam certe civis bonus quiescet; verum idem nec duabus satisfacere potest; uni ergò auxilio adsit? nonne cogitur alteram lædere; sic alteri prodesse, alteri nocere, deprehenderit. Porro civis membrum est suæ civitatis, duorum autem corporum non potest unum aut idem membrum esse; Idem ac si in bello miles, sub diversis Imperatoribus stipendia facere velit. Sed quorsum hæc argumenta? cum nemo dubitet, civitatem etiam patriæ loco esse habendam. *Quæ ut communior parens est, eò plus etiam colenda, quam parentes privati, ex opinione Cicer. l. 1. Offic.* Cui nos natura ipsa conjunxit: Quod tamen non ita intelligendum est, neminem civem posse abesse à sua civitate; hoc enim cuilibet licitum est, modo alteri civitati non tanquam civis obstrictus sit, modo absentis nomen censeatur, ab illoque comitia juris retinendi gratia frequententur, modo denique, id fiat cum permisso superiorum: Quod ipse etiam Atticus Eques Romanus, de quo antea dictum est, observavit, qui

qui quamdiu Athenis habitabat, nunquam tamen intermisit, Romam ventitare, comitiisque interesse. Eodem modo hoc seculo licitum est, vel ob causas graves abesse à Patria: ut mercatoribus: præcipue vero illis, qui sine offensa Patriæ exteris militabant, quod & Germanis concessum Recess. Comit. Spir. Anno 1520. §. denselben: sed etiam Græcis usurpatum legimus in Philopœmenis, Arati, Alcibiadis vitis, imo & in Persiam Barbaro Regi militatum ibant, Plutarchus Themist. & Xenoph. in Exped. Cyri, Menedemus Terentius in Heautont. Act. 1. Sc. 1.

*Ego istius ætatis non amor operam dabam;
Sed in Asiam aliis propter pauperiem: ubiq; ibi
Simul rem & gloriam armis belli reperi.*

Interim tamen tales demum rursus à Magistratu revocari possunt, si periculum immineat; aut aliàs civitas incolis sit exhausta. Charitas tamen Patriæ ubiq; prævalere debet & laudat Val. Max. l. 4. c. 4. *priscos Romanos, quod Patriæ rem, non suam quisque augere properaverint, pauperesque in divite, quam divites in paupere Imperio versari maluerunt.* Megapolitani Philopœmenem jure civitatis mulctare meditabantur, quod eo potissimum tempore, quo Patria bello à Lacedæmoniis vexaretur, abesset. Plutarch. in Philopœm. Eadem ratio etiam militat, si bello exhaustæ provinciæ veteres cives aut incolas rursus citent: præcipuè si sint glebæ adscriptitii, aut alias arctiori vinculo obligati. Pertinet huc tota illa Oratio Ciceronis pro Balbo, quam Populus Gaditanus repetiit, quod cōtra fœdera à Pompejo civitate donatus esset, Latini etiam legati à Romanis petebant, *ut in civitates redire socios juberent: & si quis ita civis Romanus factus esset, civis non esset.* Livius. l. 41. Adjiciatur quoque M. Perpennæ exemplum ex Val. Max. l. 3. c. 4. Interim tamè apud Germanos major est libertas, neq; facile detinetur, nisi glebæ adscriptus sit: quamvis & hic ob diversitatem Religionis solum mutare queat *vi pacificationis Anno. 1555. §. Wo aber: si sc. Domino territorii prius satis fecit.*

Sequitur Tertius Modus, quo quis civis fieri possit, sc. Manumissio. Si Dominus servum suum manumittit, & ille in

censu publico, tanquam civis Romanus nomen suum professus sit. Nam Romæ quicumque post Vindictam manumittebatur, tanquam in civitatem receptus, pro cive habitus est. Fiebat autem manumissio tribus præcipuè modis. 1. Censu, 2. Virga, 3. Testamento domini seu ejus ultima voluntate; De Manumissione per Censum ita loquitur Ulpianus: *Servi, qui in peculio censum haberent aut quibus eas facultates Domini impartirent, si eos Domini in censum civium à censoribus adscribi juberent, libertatem consequerentur*: qui modus à Tullio VI. Rom. Rege initium dicitur cepisse. Virgâ seu vindictâ manumittebantur, Si Dominus servum vel ad consulem, quod ab initio, vel ad Prætorem, quod postea obtinuit, adduceret, eique caput, vel aliud membrum tenens, in hæc verba erumperet; Hunc hominem liberum esse volo: tum Prætore vindicta ejus capiti imposta, hæc verba addebat: Dico eum liberum esse more Quirit: &c. Hujus vindictæ rationem intulisse fertur P. Valerius Publicola, anno post exactos Reges, cum de præmiis Vindictis servi, qui conjurationem detegerat, ad populum tulisset. Isidorus l. 9. ceremonias alias addit, sc. Romanos, quæ manumittebant, alapa percussos circumegisse, quæ consuetudo adhuc durat, cum alicui gladii usus conceditur. Testamento autem libertatem adepti sunt, si Dominus testator, post mortem suam, servum liberum esse voluit. Sunt præterea & alii 3. modo manumittendi: nempe. 1. inter Amicos; 2. per Mensam. 3. per Epistolam. quos Rosinus lib. 1. Antiq. Rom. explicat. Sed quoniam sublata servitute manumissio ab usu recessit, non est, quod diu immoremur. Hoc tamen notare volumus, servos hos in libertatem vindictos, quamvis iisdem ferè privilegiis cum ingenuis gaudebant, ultimum tamen Civium gradum constituisse, neque in suffragiis ferendis multum valuisse, nisi quod vi & fraude reliquo populo calculos præriperent; jus quoque tribuum, nec ipsi, nec ipsorum liberi habebant, id enim ingeniorum tantum erat, usque ad temporum Appii Claudii. *qui senatum primus libertinorum filiis lectis inquinaverat.* Liv. l. 9. in fin. & *libertis abeundi suffragii munus ad popularem gratiam concessit.* Plutarch. in Publicola.

Post-

Postquam consideravimus, quid Civis & quomodo assumendus; Modos quoque civem Democraticum educandi instruendique ad salutem publicam, paucis illustratum eamus, ubi occurrunt; Præcepta cum Generalia, & communia, hoc est ad omnes homines, seu cives, seu subditos, pertinentia, tum specialia & propria; Soli Civis Democratico convenientia, de illis primo loco dicemus.

Cum autem omnium magnarum rerum principia à Diis immortalibus ducuntur. Religionem meritò antepono, sine qua nulla hominum societas coire, nulla regna condì, multò minus conservari possunt; nam quis magistratum colat, quis sibi à vitiis temperet, nisi DEUM vindicem horum omnium noverit. Incondita esset vita mortalium.

Et belluina viribusq; serviens,

nisi divino metu in officio contineretur, illiusque audacia reprimeretur. Et quales virtutes casuras putes in illius mentem, à qua religio atque pietas absit: Frustrà certè sparseris virtutum semen, nisi illud præmolitus hic foverit sulcus, & nunquam virtutes locum invenient, ubi non pietas, cum illa fundamentum sit omnium virtutum: Nihil enim divino numine agi priscis etiam Ethnicis persuasum erat; *colentibus DEVM omnia prosperè eveniunt, & adversa spernentibus,* inquit Valerius lib. 1. cap. 1. quod Numa II. Romanorum Rex probè intellexit, *qui omnium primus rem ad multitudinem imperitam efficacissimam Deorum metum injiciendum ratus.* Livius. l. 1. c. 19. jam cum illa gentilium superstitione pietas tantum valuit, ad frænandos indomitos hominum spiritus, illorumque imperium confirmandum, quis tandem effectus erit veræ religionis, qua multo magis proficias, quam vi aut legibus.

Huic ita institutæ ac præmunitæ menti honesta eruditio quæ fons & radix omnis virtutis & civilis prudentiæ, videtur jungenda. Nam cum omnis vitii lex illos carere jubet, qui magistratum aliquando suscipere volunt, educatione quadam atque disciplina opus est, quâ indomiti & in quævis vitia procli-

ves

ves spiritus domentur legibusque & moribus subjiciantur; Nam neque interesse quisque communi societati neque præesse potest, cujus animus pravis cupiditatibus adhuc obnoxius, nec educatione quadam atque institutione assuefactus est. Aristoteles maximam corruptionis Reipublicæ causam asserit, si cives non instituantur à juventute statim ad eum Reip formam, in qua postmodum victuri sunt. Hac ratione Athenienses commoti, majorem bonæ institutionis curam, quã legum habebant. Præsertim verò illa in cive nostro requiritur, cui ut cæteris salus aliquando Reip. committenda; Quis verò Remp. benè administret? quis discrimina & casus civili navi iminentes evitet? quis in tanta rerum multitudine & eventuum varietate, in hoc undoso mari cursum rectum teneat, nisi civili virtute atque prudentia imbutus, quã se & alios regere possit; Quanquam autem hæc duo à natura initium capiant, doctrina tamen postmodum perficienda sunt, quæ perquam necessaria, cum nihil sit, quod calamitatem civitati citius adferat, quam imperitia, & ut solis defectus magnam mortalibus perniciem adfert, ita illa Reip. Plutarch. 3. de Repub. Idem alibi ad Principem indoctum, sicut illi qui morbo comitiali laborant, si versantur in frigore, continuo corripuntur vertigine, ita fortuna homines indoctos & ineptos, quos aliquantulum opibus, gloria, Principatu extulit, statim dejicit & evertit, causam prudenter in Apophth. Antioch. reddit, quoniam indocti vera nunquam, aut raro per omnem vitam audiunt: & ut paucis rem absolvamus, inscitia omnium miseriarum & calamitatum causa est. Nam ut maximæ ac florentissimæ Respubl. quæ peritis abundant civibus, ita illa miserissimæ, quæ imperitia civium laborant. Adversus hanc autem à bonis literis auxilium tibi quæras, quæ optima atque utilissima suppeditabunt consilia ad capeſendam Rempub. Plutarch. in Coriol. Quæ tamen cum modo habendæ, præsertim nostro civi, cui non scholis tantummodo, sed vitæ discendum; huic enim eatenus literarum studium hauriendum, quatenus salus publica id requirat, nam illam acutam nimis imo argutam prudentiam, ab illo non requirimus, sed talem, quæ naturam reddit eximiè ornatam, quæ rebus atque nego-

negotiis prudenter consilia subministrat. Thucyditis iudicium hoc loco admittimus, nempe hebetiores Remp. melius administrare, quam acutiores, causam prudendissimus *Lips. l. 3. Polic. 4.* suggerit, *illa nempe subtilia ingenia novandis rebus quam gerendis aptiora.* Et experiundo dicimus, longe diutius mediocri prudentia Reip. stetisse, quam subtili & exquisita: Est autem eruditio, qua civis noster indiget, duplex: Privata & publica, illa domi à parentibus ad honestatem educetur, hac in schola ad utilitatem Reipubl. erudiatur, quæ posterior utpote majorem in se continens utilitatem; ita longè alterà præstantior, quæ tamen utraque valde necessaria.

Ab hac pulcherrima utilissimaque educatione, ceteræ promanabunt virtutes, quibus civis noster egregiè ornatur, ut sunt.

1. Amor erga Rempubl. Hanc enim Patriæ loco habendam quovis tempore civis bonus existimabit, pro eaq; vitam fundere, dulce ei & decorum erit. Nullum certè habuere prisca virtutis suæ majus incitamentum, quam amorem, quo flagrabant erga Remp. Prodeat in exemplum magnanimus ille M. Att. Regulus; nonne illum amor Reip. summum sustinere supplicium coegit? hic cum salvus esse posset, noluit sibi prodesse, ut Reip. noceret; interq; summum cruciatum, privatus oculis, vitam deposuit. Eodem modo Horatius Cocles, insigne Romanæ virtutis documentum, amorem erga Remp. testatus est suum; Qui diu solus retentis hostibus, postquam ad ultimam ingruenti multitudini non sufficeret, ponte rescisso transiit Tiberim; nec tamen arma dimittit. Et quid de Mutio Scevola, M. Curio, Deciiisq; referam? quorum facta, nisi in Annalibus extant, fabulæ hodie viderentur. Ex hoc autem Amore proficiscitur.

2. Fides, quæ firmissimum societatis vinculum, quod veluti de cælo demissum, totam hominum salutem continet, *nulla res vehementius Rempubl. continet, quam fides, ex opinione sapientissimi Ciceronis. lib. 3. Offic.* Tolle enim inter civem & Magistratum fidem, inter confæderatos & socios promissorum constantiam, quid vita nostra, nisi æterna dissensio, imò vi, fraude atque dolis; cuncta cunctis miscerentur. Nam si fidem auferas atque è medio tollas, justitiam læ-

C

dere

dere nullo modo cogeri, cuius illa fundamentum: Ut ergò his duobus civitates invictæ incussæque permanent, ita ruptis semel his societatis vinculis, omnia commoveri necesse est. Divina quippe ultio istos perjuros nunquam non subsecuta est, quod suo testatus est exemplo Hannibal, qui senex & profugus hausto veneno impiam exhalavit animam. Nec abs re *Silius l. 2. bell. Punic. sec.*

— *stat nulla diu mortalibus usquam*

Fortuna, titubante fide —

Hanc denique excipit pulcherrima illa, & ad Remp. stabilendam validissima virtus, **Concordia**; quæ maximum ad conservanda imperia principatusque stabiliendos adminiculum vocatur, quam, pulcherrimo simili, à sagacissimo naturæ investigatore *Plinio lib. 2. cap. 103.* sumpto, cum Tyrrehno lapide comparare possumus, *qui quamvis grandis, comminutus sedit; ita Concordia sustinemur, discordia pessumimus: Et ut singula hastilia facile frangas, conjuncta non possis, ita dissidentes facile superantur, concordies haud facile,* inquit Plutarchus. Eodem quoque simili Micipsa filios suos ad concordiam admonuit, ut videre est *Sallust. Jugurth.* Nam ut nec corpus consistit, si membra illius dissentiant; sic nec Civitas, si partes ejus, h. e. cives. Romani adversus externos inconcussi steterent, suosque invictos lacertos tam diu movere, quamdiu civilis discordia aberat: quamprimum autem illa irrupit, ipsi inter se consumpti sunt, miseraque Resque in viceribus suis experta est, quod ab Annibale aliquo timeretur. sic scil. Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Sed quorsum prolixius, cum hæ virtutes propriè ad moralitas spectent; igitur alienæ messi falci immittere, non est nostri instituti.

Promissis autem ut stemus pergimus ad specialia sive propria, quibus civis imbui debet præcepta; inter quæ primum obtinet locum, **Amor Libertatis**, cuius ante omnia dulcedo ipsi instillenda, ita ut omnis sui voti actusque finem, libertatem proponat, in eaque omne decus omnem felicitatem constituat. Hoc enim modo præsentis status amore captus, ad augendum

gendum illum stabiliendumq; magnopere erit sollicitus. Parit
autem amoré libertatis. i. Par omnibus ad honores aditus;
quod olim quoties Democratia prævaluit usitatum fuit, cuius
rei Exemplum C. Terentius Varro esto, qui referente Livio,
22. 26. loco non privato solum, sed etiam humili ortus, patrem lanium,
fuisse ferunt, ipsum institorem mercis, filioq; hoc ipso in servili ejus artis mi-
nisterio usum. hic tamen postea per omnes honoris gradus ad Præ-
turam usque ascendit, multumque autoritate apud populum
valuit. C. quoque Marium huic lubet adjicere, quem igno-
bilem maximos Romæ honores adeptum fuisse, quis ignoret?
de quo Juvenalis hunc in modum canit:

*Arpinas alius Volscorum in monte solebat,
Pascere mercedes alieno lasus aratro,
Nodosam posthac frangebat vertice vitem
Si lentus pigra muniret castra dolabra:
Hic tamen & Cimbros & summa pericula rerum
Excipit & solus trepidantem protegit Urbem.*

Ipsæ quoque Cicero homo novus adeptus est Romæ consula-
tum, eundemque,

Roma parentem,

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit. ibid.

Et quem lateat triumphalem illum agricolam L. scil. Quin-
ctium ab aratro ad dictaturam, à dictatura ad aratrum prope-
rasse. Quorum Exemplorum seriem suppeditabit tibi Val. Max.
lib. 4. cap. 4. qui omnes tenue exiguâque re familiari maximis
honoribus laudabiliter perfuncti sunt.

Secundum Libertatis quasi fomentum est. Juris æqualitas, si
sc. nullus affectus, nulla dignitas aliquid valeat, sed jus tam
summus, quam infimis ex æquo pateat. e. g. cum olim cuilibet
privato etiam gravissimum virum ob delictum aliquod in Ju-
dicium vocare licitum erat. Eleganter Livius l. 38. Neminem civem
tantum eminere debere, ut legibus interrogari non possit, nihil tam æquan-
da libertatis esse, quam potentissimum quemque posse dicere causam, cum
describit causam Scipionis Africani in jus vocati. Adjungimus

C 2

ex Ne-

ex Nepote in Timot. dictum Timoleontis, cui cum Lamestius homo petulans vellet imponere, complures autem concurrissent, qui procacitatem hominis manibus coercere conarentur, Timoleon oravit omnes, *ne id facerent &c.* Hanc n. speciem libertatis esse, si omnibus, quod quisque vellet, legibus experiri liceret: quod ex illustri Jul. Cæsaris exemplo patet, qui & juvenis & privatus Cornelium Dolabellam Consularem & Triumphalem virum repetundarum accusavit. *Suet. in ejus vit. c. 4.* Qui modus frequentior Romæ, quippe non tantum permissum erat adolescentibus clarissimos quosque accusare viros, sed etiam valde approbatum. Hinc Cicero laude dignum judicat, quod M. Cloelius accusare Pompejum non dubitaverit, volueritque veteri instituto, eorum adolescentium exemplo, qui post in civitate summi Viri & clarissimi cives extiterunt, iudustriam suam à pop. R. ex aliquâ illustri accusatione cognosci. Nec in judiciis honoratiores quidquam majus poterant, quam privati, quod Lucii Cottæ exemplum, quem P. Scipio accusavit, probat, cujus causa gravissimis criminibus confossa, ad ultimum tamen absoluta est, nullam aliam, ut vult V. Max. ob causam, quam quod homines sapientissimi verebantur, ne si damnaretur, præcipuæ accusatoris amplitudini, damnatio ejus donata existimaretur, splendor siquidem clarissimorum virorum, quemadmodum in protegendis reis plurimum valuit, ita in opprimendis non sane multum potuit. *vid. V. Max. 8.1.*

Tertium Libertatis sustentaculum est Frugalitas publica, quæ per quam necessaria, nihil enim est, quod bonos mores citius evertat, civesque ad seditionem impellat, quam luxuria, nec ullam aliam causam legimus Catilinam contra patriam suam armasse, quam luxuriam, & quæ hinc conflata, egestatem. Quare Lyeurgus commotus, juvenes primâ statim ætate ad parsimoniam & laborem assuefecit; Illos enim non in forum, sed in agrum deduci jussit, ut primos annos non in luxuria, sed in opere & laboribus agerent, illisque non amplius una veste uti toto anno permisit; nec quemque cultius quem alterum progredi, nec epulari opulentius passus est, *Iustin. 3. 3.* qui causam statim
subjicit

subjicit, ne sc. imitatio in luxuriam verteretur: idem omnes convivari publicè jussit, ne cujus divitiæ, vel luxuria in occulto esset; Quam pulcherrimam consuetudinem apud Romanos quoque viguisse, *Val. Max. Auctor est, l. cap. 5.* Maximis enim viris prandere & cœnare in propatulo verecundiæ non erat, nec sanè ullas epulas habebant, quos populi oculis subjicere erubescerent. Quantum autem fuerint continentiaæ attenti, Juvenalis optimè exhibet; qui de maximo Rom. Duce,

*Dentatus Curius parvo quæ legerat horto,
Ipse fœcis brevibus ponebat oluscula, quæ nunc
Squalidus in magno fastidit compede fossor. Sat. II.*

Quartum Adminiculum libertatis conservandæ sunt, severissimæ sanctissimæque Leges, quibus populus cum summa potestate modum accipit, ita ut summa quidem rerum penes populum sit, is tamen legibus & institutis ad conservandum præsentem statum stabiliendumque adstringatur, ne quod plerunque solet fieri licentiam Ochlocraticam usurpet, temperatamque æquabilitatem respuat. Est enim *ea multitudinis natura, aut servit humiliter, aut superbe dominatur, libertatem quæ media, nec spernere modicè, nec habere scit. Liv. 24. 25.* Igitur bonis legibus opus est, ut hæc duo tam repugnantia ad harmoniam quandam politicam reducantur; Et hoc vult Tacitus cum dicit: Vulgi natura legibus & institutis Reip. temperanter habeatur, quod ut fiat, gravissima pœna faciendâ est in saniosos, & paucorum potentiaæ suffragatores, exemplo Romanorum, qui M. Manlium civilis seditionis auctorem, de saxo Tarpeio dejecerunt, turpissimaque mulctarunt morte: Eodemque ferè supplicio Sp. Melius interiit, quem largitione regia dominationis suspectum, S. Ahala in medio foro confodit. Certus tamen pœnæ modus statuendus est, nescio enim, an populus Rom. nimis undique libertatem minimis quoque rebus muniendo, modum excesserit: quod exemplo Collatini patet, quem & Consulem & Liberatorem tantum ob nomen & genus regium, fascibus abrogatis, urbe excedere jussit.

C 3

Alterum

Alterum præceptum, quod civi nostro instillandum, versatur circa Modestiam. Hæc virtus quam maximè popularis, à teneris statim animo ejus infundenda, *vetus enim & jam pridem insita mortalibus, potentia cupido Tacitus. Histor. 2.38.* Cui Sallust. assentit, *natura*, inquit, *mortalium avida imperii*, & quotuscumque est, quem fortuna præ cæteris egregiis quibusdam adornaverat donis, qui non ad altiora tenderet, cæterosque circa se despiceret: quod exemplum Pausaniæ apud *Corn. Nep. 2.2.* declarat. Huic igitur vitio ab initio statim obveniendum, hoc scilicet modo, ut munera civilia non nisi ætati justæ deferantur.

— *finitaq; certis*
Legibus sit ætas unde petatur honos. Ovid.

Juvenes enim ad honores subdito eVecti intemperanter & insolenter se gerunt, aliorum Judicia & opiniones despiciunt, peiora facilimè præcepta audiunt, inquit cordatus Romanorum *Seneca in Thyeste.* Hinc non immerito Brutus Cicronem increpavit, quod nimis efferendo honoribus adolescentem Octavium ad Rempubl. armasset. 2. Imperia non continentur, alias eadem imperii cupido illorum animos invadet, quæ Miltiadis, qui multum in Imperiis Magistratibusq; versatus, non videbatur posse esse privatus, præsertim cum consuetudine ad imperii cupiditatem trahi videretur. *Æmil. Prob. in ejus vita 8.2.* Et Suetonius de I. Cæsare refert: quidam putant captum imperii consuetudine usum occasione rapiendæ dominationis: his junga ea, quæ de Annibale, apud *Iustin. l. 21. cap. 1.* dicuntur. 3. Illorum potestas non sit diuturna hujus loci est, illud Mæcenatis ap. *Dion. l. 52.* prudentissimum effatum. *ἀρχαὶ αἰ μακρότεροι καὶ πολυχρονιώτεροι ἐπαίρουσι πῶς πολλὰ καὶ ἐς νεωτοροποιήσιν ἐξάγουσι: longiora Imperia & diuturniora multis spiritus attollunt & ad rerum novarum molitionem præcipientes impellunt: hæc verò in fine hujus nostræ disputationis prolixius demonstrabimus. 4. Ambitiosi, nimiumque Imperium affectantes Tacito, *feroces, turbidi, violentes, plus quam civilia agitantes; Livio elati supra modum hominis privati; Floro altius se & incivilius efferentes*, in exilium*

agan-

agantur, vel alia pœna à dominandi libidine arceantur: id que Pericles ap. *V. Max. l. 7. cap. 2.* monuit, ut præcipuæ nobilitatis & concitati ingenii juvenes refrerentur, horū quippe blandis consiliis, populus facile, ad seditionem movetur, qua necesse est statum præsentem Reipubl. mutari, sunt enim seditiones quasi dolores, sive, ut Græci vocant, *ὀδύνη* Reipubl. parturientes magnum aliquod regnum, quod Romana docet historia, cum Augustus cuncta bellis civilibus fessa, nomine Principis sub imperium recepit. *Tac. Ann. 1. 1.*

Tertium sequitur præceptum; ut nimirum civis noster honestis laboribus, sit occupatus, hoc enim modo, *bonis negotiis impeditus, malum publicum facere desinet.* *Sallust. Orat. 2. ad Cas. de Republ. ord.* Nihil enim est, quod calamitatem civitati citius adferat, quam blandum illud malum, id est *Otium.* Et ut corpus hominis omnis motus expers, cuilibet morbo redditur obnoxium; sic Respubl. intempesta quiete suam sanitatem atque robur amittit, quod App. Claudius probè intellexit, hinc crebro dicere solebat, *negotium populo Rom. melius quam otium committi.* *Val. M. l. 7. cap. 2.* iudicium suum addit, *negotium nomine horridum civitatis nostræ mores in suo statu continuit, blande appellationis quies plurimis vitiis respergit.* Et quid verius illo Catulliano.

*Otium & Reges prius & beatas
perdidit urbes;*

Nonne Troja, Athenæ, atque Tarentum, exitium suo otio debent; de Tarentinis scribit *Florus 1. 18.* illos ludos forte celebrasse, cum hostilis Romana classis littori adremigaret: Trojanos verò *malè feriatis* Achilles in ipso otio deprehendit. *Horat. l. 4. Od. 6.* Quare hoc prævidens Dux & moderator Atheniensis Reipubl. Pericles 60. triremes exstruendas curavit, quas, imposito magno civium numero in alienas emittebat terras, hac ratione Vir prudentissimus existimabat, non solum exitiosum otium à civium cervicibus posse depelli, sed etiam disciplinam navalem quam optime ab illis addisci; Cui facile comparaverim, Scipionem Nasicam, qui tum gravi, tum alta oratione

oratione

oratione disuasit ruinam Carthaginis, futurum enim assererat, ut potentis hostis metu liberati Rom. vel otio, vel ignavia torpescerent, quod & non multò post eversà Carthagine compertum est.

Negotia vero triplicia constituunt omnes fere politici; Mercaturam, Agriculturam, Opificium, quibus nulla benè constituta Respubl. carere potest, quorum commendatio, tum in Sacris, tum in profanis continetur paginis, hinc ab omnibus ferè gentibus approbata. Quod Mercaturam attinet, scimus illam apud Athenienses atque Lacædemonios in magno honore fuisse, nec dubitavere splendidissimi nobilissimique Rom. Equites L. Poetius, & Q. Mutius, illi operam dare, & hodierno die videmus in Italia, Anglia, Belgio, clarissimos quosque Viros mercaturam exercere, quapropter non satis miror Thebanos, omnes mercatores publicis muneribus exclusisse, cum tamen maxima illa afferat utilitatem illudque compleat, quod natura sæpè denegavit: hoc quidem non negaverim, nonnullos interdum posse à Magistratu excludi, præcipuè illos, qui ob maxima commercia majori tempore alienas inhabitant terras, hos enim admittere, nimis periculosum esset.

Sequitur Agricultura, quo vitæ genere nihil antiquius, nam si sacras evolvamus paginas, patres atque patriarchas agriculturæ operam dedisse. inveniemus *Gen. 13.* Imò ipsum Adamum agricolam fuisse. *Gen. 2.3.* Romæ præcipuæ quæq; familiæ agris colendis victum quærebant, nec tamen eò minus ad summos vocabantur honores, tantusque agriculturæ habitus est honor ut cum Romani laudare aliquem voluerunt, bonum agricolam & bonum colonum vocarunt, hinc multa nomina sibi à rebus rusticis composuerunt, ut Lentuli, Fabii, Pisones, aliiq; plures: Quid autem mireris? cum *sine ea nulla Respubl. consistere possit, nisi victus expertem nos agere vitam existimemus,* inquit Eloquentiæ professor Cicero.

Tertium vitæ genus est Opificium, quod versatur circa artes mechanicas, quorum usus valdè necessarius, sine quibus vita omnino nulla esse potest: *quis enim agris subveniret, quæ esset oblecta-*

oblectatio valentium, qui victus aut cultus corporis, nisi tam multa artes nobis ministrarent, Cic. 2. de Offic. quarum tanta apud veteres erat cura, ut Solon etiam legem Athen. tulerit, ne filii cogere alere parentes, à quibus artem nullam accepissent: nec etiam honoris expers erat, Suet. de Nerone refert, illum scitè & fingere & pingere potuisse, & Demetrium Poliorcatem ingeniosissimum in fabricandis machinis bellicis fuisse, legimus ap. Plutarch. in ejus vita.

Quantum igitur ad introducendum, informandumque civem attinet, paucis illustravimus, necesse est ut introducti officium, porro consideremus, quod est vel absolutum, vel relatium, illud ad Moralistas spectat, hoc verò hujus est loci.

Distinguimus autem civem nostrum in Imperantem & Obsequentem, si est Imperans, hæc capiat sibi præcepta; Nihil de sua autoritate remittat, sed dignitatem potestatemque ex æquo custodiat: Legibus cum seipsum, tum alios astringat, imitando Lycurgum, qui nihil lege ullâ in alios sanxit, cujus non ipse prius in se documenta daret. Justin. 3. 2. nec non Catonem qui ne senatorio viro concessit, aliquid contra præscriptas leges perpetrare. Val. Max. 6. 2. Magistratus honorem cum aliis fortiter defendat; Patrios mores, ritusque exterris præferat. nam τὴ πατρίᾳ ἔθνη πάντα πᾶσι παραβαίνειν ἀδίκον ἔστι: Patrio ritus migrare aut violare, ubique gentium nefarium habetur, inquit prudentiæ oculus, Aristot. Rhetor. ad Alexandr. Humanitate, consilio, moribus, cunctis inserviat; Continentiam abstinentiamque vitæ integritate cohonestet: Cum imparibus ne nimium se jungat, quod Pericles optimè adhibuit, qui antea familiaris maximè atque comis, simul Remp. attigit, ob omni coetu amicorum atque conviviis se abjunct, vitæ genere quodam subducto & planè mutato, Lips. Pol. 2. 16. ubi causam subnexam invenies. Ita tamen ut potestatem humanitate, humanitatem gravitate temperet, ne superbia dominatione, aut studiis erga pop. ambitum præferre videatur, hoc autem facilè evitet, si neque splendide nimis domi vivat, neque ædes suas ultra modum ædificet, ornatuque extruat, hoc enim inquit Tacitus de Pisone, inter ir-

D

rita-

vitamenta invidia erat, domus foro imminens, festo ornatu, Conviviumque & epula: Contra noster exemplum sibi sumat, à Val. Publicola civilis prudentiæ miro artifice, qui ne specie arcis offenderet cives, eminentes aedes suas in plana submitit; Flor. 1. 9. Paucis, se semper talem præbeat erga privatos, qualem ipse si privatus esset, optaret magistratum, altè ergò inbibat illud Mecanatis ap. Dionem: nulla in re laboris, si ea ipsa libenter feceris, quæ velles alium facere, si ejus Imperio subjectus esses; & hoc eò magis, quoniam dignitates & honores non perpetuæ, sed earum solet esse vicissitudo, & modo populi suffragia, quem aliquandiu evexere, subitâ mutatione negligunt, aliique antehac contempto imperium deferunt. Itaque hic præcipuè requiritur moderatio, quæ cum certis præceptis, ut pleraque civilis prudentiæ, quando nimirum, & quo in loco commodè adhibere possit, tradi nequit, ipsæ occasiones & momenta rerum, quemcunque, qui mensuram hujus nominis explere poterit, docebunt.

Si est Obsequens aliter se gerere debet, 1. erga pares, 2. erga impares. Erga paris conditionis, horum utilitati quoquo modo inserviat, illosque amore atque humanitate sibi devinctiat, ne, quod sæpè solet evenire, si ad gubernaculum vocentur, odium ab illis expectandum habeat; breviter, officium quod natura cuilibet injunxit, fideliter, & ut viro & civi bono dignum est, in omnibus sequatur. Erga impares, hoc est Magistratum: huic præstet, 1. reverentiam debitumque honorem, 2. Obedientiam in parendo, tum enim beata sunt Resp. si benè Magistratus imperare dedicerint, & parere cives noverint. *Plut. in Leon.*

Sunt præterea communia quædam præcepta, tum ad imperantem, tum ad parentem respicientia, ut sunt. 1. Præsentem Reip. statum, hoc est. Libertatem ex æquo omnes defendant, nec fortius pro illa loquantur, quam pugnent. 2. Salus Reip. suprema lex esto, quam quovis tempore, & monendo, & suadendo, promoveri debent, exemplo Themistoclis, hi enim cum pecunia publica, quæ ex metallis redibat, largitione Magistratuū quotannis interiret, persuasit populo, ut eâ pecuniâ classis. 100. navium ædificaretur: Lege suavissimum de hoc facto *Corn. Nep. in The-*

in Themistocl. vita. 3. 3. Comuni autem bono hoc modo inserviant, si quid corrigendum, apud Magistratū indicium hujus faciant, contra si quid ad utilitatem Reip. spectare videant, in eo perficiendo alacres se atq; promptos ostendant, quæ tamen vix cognoscere licet, nisi in ipsis actionibus.

Verum hoc modo domi civis noster benè beateque vivere poterit, operæ pretium ostendere, quomodo apud externos famam splendoremque cum sui, tum civitatis; adipiscatur, utrumque impetrabit hoc modo. Rerum divinarum primam ac maximam habeat curam, omnia namque *post religionem ponenda, semper nostra civitas duxit*, inquit de sua Roma Val. Max. & hoc medium, quod reverendos inter mortales homines facit: Bonos mores magnoperè colat; quod fit, si i. domi parsimoniam, publicè magnificentiam ostendet, quod prisca illi, & ab omni labe adhuc incorrupti Romani fecere, quid *domi parci, in suppliciis Deorum magnifici*, adde gravissimum *Sallust. Catilin. 2.* si concordiam maximam, minimam avaritiam exercent. 3. Si fidem rem inter DEUM hominesque pulcherrimam, amicis atque sociis non utilitate sed synceritate religiosè sanciat ac conservet, 4. si justam externis quam incolis ex æquo tribuat. 5. si pecuniam non in luxuria & libidine, sed in moenibus extruendis, propugnaculisque muniendis, consumat. Hoc quoque maximum addet civitati splendorem, si munera civilia non nisi civis bonis atq; probis deferantur, nam distributionem illam Arithmeticam, quam quidam stricte etiam in vilissimo quoque observandam existimant, confusionem potius dixerim, quam decoram aliquam salutique Reipubl. convenientem distributionem. De Romanorum Senatu legimus, tanta illum authoritate gravitateque fuisse, ut legati, interroganti suo Pyrrho, quid de hostium sede sentirent: *urbem templum sibi visum, & senatum Regem confessum, considerentur. Flor. 1. 16.* Hanc autem dignitatem civi nostro haud facile induas, nisi prius virtutem, quapropter Scholarum prudentiæq; professorum, maxima tibi est habenda cura, quæ seminaria virtutum atque officinas optimè nominaveris. Ultimo magnopere civi nostro providendum, ne res ejus familiaris de-

trimentum capiat, sordida enim civium egestas, multum de civitatis honore detrahit.

Cum autem hoc loco de bonis mentio fit, quæstio nascitur, An expediat Democratiæ divites habere cives, an verò pauperes? quod primum attinet membrum, an divites præferendi sint cives, optimè illud discutiemus, si exempla veterum Rerum, ante oculos ponamus; Eas si consideremus, quis est qui non deprehendat, quantum semper calamitatis attulerint istæ nimix divitiæ. Sæpe Reges, Civitates, nationes, per opulentiam magnam, imperia amiserunt, quæ inopes ceperant. *Sall. in frag.* Romani principes ferè totius orbis exemplum sunt, quorum Imperium, ut felicitatis suæ fundamentum habuit paupertatem, sic exitium illi attulit nimia opulentia, illa enim animum illorum excitavit, virtutem acuit, honorisq; studium instillavit: hæc verò postquã intravit imperium ex justissimo atq; optimo, crudele intollerandumque fecit, adepta namque Assyria nobili regione, & mox Asiatica Pergameni Regis hæreditate, incæpit luxuriari, conviviisque indulgere, quibus cum paulatim opes consumebantur, avaritia illos occupavit, *quæ fidem, probitatem ceterasque artes bonas subvertit, pro his verò superbiam, crudelitatem, Deos negligere, omniaque venalia habere edocuit. Sallust. in Catilin.* Virtutum nullus amplius relinquebatur locus, sed munera officiaq; publica pecunia redimebantur, nihil tam sordidum tamque nefarium erat, cui pecunia honorem non prætendebat, tandem eò usque progressum, ut etiam libertatem, quam antea vita potiore duxere, cum Republ. venalem haberent, sic sc. adversus felicitatem incauta mortalitas est, huc respicit illud *Florianum. 3. 12. Opes atque divitiæ afflixere seculi mores.* Unde enim illa Mariana Syllanaque tempestas? nisi ex egestate, quam peperit opulentia: Unde illa ipsa principatus & dominandi cupido? nisi ex nimis opibus venit: Non male ergò *Juvenal. Satyr. 6. v. 275.*

*Nullum crimen abest, facinusque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit. ———*

Confer hac de re elegantissima illa Exempla apud Val. Max. l. 4.

C. 4.

c. 4. Sunt tamen nonnulli, qui divites anteferendos esse judicant, inter hos *Agellius*, l. 16. c. 10. fortiter pro illis pugnat, his rationibus subnixus, quoniam res pecuniaque illorum obsidis vice pignorisque loco apud Remp. esse videtur, amorisque in patriam, fides quædam est & firmamentum afferunt alii alias rationes, dicuntque verisimile esse, illis, qui rem domesticam bene administrant, etiam Remp. curæ futuram. 2. meliori institutione eruditioneque ad utilitatem Reip. educantur, quoniam majores sumptus studiis obsequendis facere possunt, dum nimirum Pædagogos, Præceptores, aliaque media quibus puerilis ætas indiget, ipsis suppetant divitiæ. 3. majus illis otium relictum esse, quod studio Reipubl. impendere possint, hinc Solon inter alia quibus Remp. formabat suam, hoc etiam sancivit, ut tantum locupletiores in senatus numerum describerentur, legimus quoque apud Romanos, antequam plebs in sacrum secesserat montem in eligendis Magistratibus census rationem fuisse habitam: Verum hæc exempla nihil convincunt, quoniam illo tempore, quo divitiæ sibi vindicabant imperium Aristocratiam magis, quam Democratiam viguisse in comperto est: In Democratia enim fortunæ nulla habetur ratio & quidem more æquissimo, quoniam *hec animi bona neque dare neque eripere cuiquam potest*, ex opinione gravissimi *Sallustii*.

Quod Pauperes attinet, num scil. hi antepoenendi sint? paucis considerabimus, videtur paupertas majorem in Democratia locum invenire, quam nimix divitiæ, quoniam 1. plerumque illius causam probitas est 2. quoniam industriam ac amorem erga Rempub. acuit, nam quis est, qui nesciat majori industria Romanos hostes suos vicisse, cum adhuc ferreis præ inopia uterentur annulis, quam tum, cum devicta Carthagine, magna vis luxus Asiatici in urbem demigraret, ad quos illud *Virgil.*

———— *Labor omnia vincit
Improbis & urgens duris in rebus egestas.*

3. Sapiëntia quoque majori præditi sunt pauperes quam divites, nec imprudenter aliquis, paupertas sapiëntiam sortita est,

D 3

in ex-

in exemplum pruducamus Phocionem, cujus in summâ paupertate, summa fuit sapientia, ita ut etiam ab integritate vitæ cognomen boni meruerit, in tanta paupertate. Aristides laudatæ innocentia Justitiæque exemplum, vitam traducebat, cujus abstinentiæ nullum certius est indicium, quam quod cum tantis rebus præesset, in tanta paupertate decesserit, ut qui effertur, vix reliquerit. Quid, si ad Romanos me convertam, de Val, Publicola memorem? de quo abunde patet, quid vivus possederit, cui mortuo lectus funebris & rogus defuit. Quid de Attilio, L. Quinctio, Triumphalibus illis agricolis? quorum exemplis omnis Romana gloriabitur ætas. Quid denique Scipionem Fabritiumque referam?

*Hunc & incomptis Curium capillis
Vtilem bello tulit, & Camillum
Sæva paupertas, & avitus apto*

cum lare fundus: Horat. l. 1. Od. 12.

Falluntur ergò ii, qui putant eam partem in Civitate potiorrem faciendam, cui salva tranquillaq; omnia esse expediat. Livius lib. 34. cum ut exemplis demonstratum est, pauperrimi fere quique optimè de Republ. sunt meriti; meo certè judicio magis pauperes Remp. tuentur, quam nimis divites. Hi enim plerunque superbiæ vitio laborant, à quâ deinde dominandi libido permaneat; pauperes vero præsentis status amore eo magis capiuntur, quo niam illis ad majora aditus præclusus: Si tamen rem oculatius intueamur, opinioni eorum accedimus, tutissimamq; Democratiam judicamus, in qua neq; sordida egestas civis premit, neq; nimix divitiæ altiores illis spiritus infundunt; illi quippe dejecti sunt, & propter egestatem Reip. muneribus vacare nequeunt; hi vero elati, rebusque novis addicti.

Effectus ex hac civili societate ad civem reduntantes, sunt vel Consentanei, vel Dissentanei; Consentanei; commoda & honores; 1. enim ejusdem juris civilis particeps fit; 2. Non tam arctè obligatus, ut aliarum societatum cives; debet quidem fidelitatem patriæ h. e. suæ civitati, pro qua ne
vitam

vitam fundere dubitet, imo summa ei propter utilitatem Reip. sunt adeunda pericula; tamen privilegia sua modestè tueri potest, neque vi ulla ac insolita cogi: 3. Nihil de capite ejus, nihil de bonis, sine judicio magistratus potest detrahi; Hoc enim proprium libera civitatis, ut nihil de capite civis, aut de bonis, sine judicio senatus, aut populi, aut eorum, qui de quaq; re constituti judices sunt, possit detrahi, inquit Cicero: Nec ulla alia est causa, quâ Felix Paulum damnare abstinuit, quam quod civis Romanus esset, Hac ratione adducti Cæsar & Clodius, Ciceronem reum egerunt, quod Lentulum & Cethegum carnifici tradiderit, quasi hoc facto Romana majestas læsa fuisset: Voluerunt quoque Romani omnes virgas à civium cervicibus remotas esse, libertasque licitori adempta erat, teste eodem Cicerone: 3. Æque capax est, ut quilibet alius civilium munerum, & hæc est causa, cur disjuncta atque ambulatoria in Democratia sint officia; quo scil. eo plures eorum participes fieri possint.

Iuvat autem hac occasione quærere, num perpetui magistratus præstent ambulatoriis; Nacta est utraque pars suos patronos, ii qui perpetuos præferunt, has afferunt rationes; quoniam. 1. temporis diurnitas experientiam auget, quam brevi nunquam aut raro acquiros, secundum illud Ovidij

— Seris venit usus ab annis:

2. Majestate quoque majori atque authoritate imperant; si quidem cives non tanta veneratione prosequuntur eos, quos sciunt brevi tempore sui similes futuras, quam illos quibus perpetuo obediendum est.

Qui alteri patrocinantur parti, his subnixi sunt rationibus. 1. dicunt licentiam atque superbiam reprimi, quæ ex continuo nasci solet imperio; *superbiam namq; suam dimittent, ubi iis obediendum erit, quibus antea crudelissime imperitarunt*, inquit Sallust. *orat. 2. ad Cæs. de Rep. ord.* 2. Præcipue illam vicissitudinem utilem esse in democratia, quippe *libertatis magna custodia est, si magna imperia diuturna esse, non sinas.* Liv. cui assentit Seneca; *nihil, inquit tam utile, quam brevis potestas.* 3. Melius quoque Rem. publ. administrari, in qua plures regunt, secundum tritum illud

lud

Iud proverbium, *oculi plus vident, quam oculus*; Huic ergo posteriori parti merito assentire cogimur, nam si omnes percurramus veterum Respubl. semper inueniemus, obtinente Democratia, majores magistratus ambulatorios fuisse, (de minoribus enim hoc loco sermo non est) Romani suos habere consules, quorum imperium ultra annum non durabat. *Liv. 3. 39. 4. 5. & 33. 32. Sall. Cat. 6. 10. Florus. 1. 9.* De Atheniensium Republ. scribit Vellejus illam annuis magistratibus commissam esse, quod affirmat *Iust. 2. 7. 2. & 3. 3. 2.* quos Carthaginenses quoque atque Thebani sequuti sunt. Hoc enim modo minime putabant, per licentiam insolescere posse humanum animum, ut vult *Sallust: Cat. Quem morem tam stricte obseruarunt, ut etiam quosdam ultra præscriptum tempus imperium retinentes, morte mulctarint: Extat gravissima Thebanorum lex, ejus caput sacrum estote, quæ exercitui præfectus, vel diem unum magistratus, tempore legibus definito, imperium non deposuisset.*

Notandum tamen, non omnes ad magistratum posse admitti: Hominibus enim levibus, iracundis, ambitiosis, fatuis, denique improbis magistratum deferre, res esset non sine periculo, hi enim cum se regere nequeunt, quomodo aliis imperitabunt? Apud Athenienses quoque, magistratus aditus non cuilibet patuit: Solon enim lege prohibuit, ne quis magistratum ullum aut intra Atticæ populos, aut extra, aut suffragio, aut sorte delatum, gerere possit, qui impudicitia aut turpitudinis genere notatus fuisset: Insuper quæ ex infima plebe erant, ad summos honores non admittebantur, tam apud Romanos, quam Athenienses, ii enim jure honorum contenti, nunquam eos magistratus petierunt, qui salutem aut periculum totius populi continerent, sed illos tantummodo, unde fructum utilitatemque perciperent. *Xenophon de Republ. Athen:*

Dissentanei sunt, incommoda atque onera publica, veluti quod teneatur fideliter census exsolvere; qui tamen non ad luxuriam atque profusionem adhibendus, sed 1. ut magistratus aliquanto copiosius splendidiusque remunerentur. 2. ut Ecclesiæ Scholæq; nutriantur foveanturq; 3. ut pauperibus subve-

subv
gene
Reip
civita
culu
2.
luti v
gistra
onera
magi
xi
3. V
potest
cio p

OP
d
phis
Plura
muta
Qua
huc S
optim
parte
bus a
tura v
Auria
dum
vitato
menc
tot an

subve.

subveniatur, 4. ut Tempia, Curia, mœnia, propugnacula, & ejus generis alia, ædificentur reparenturque, 5. ut patrimonium Reipubl. augeatur, id enim non tantum splendorem acquireret civitati, sed etiam, si bella gerenda sint, maximum erit adminiculum.

2. Reliqua quoque onera civi nostro perferenda sunt, veluti vigiliæ, à quibus tamen plerunque ii liberi sunt, qui in magistratu, aliisque muneribus publicis versantur. Cætera civilia onera pro diversitate Rerumpubl. varia atq; multiplicia, cum magis ad Jctos respiciunt, hoc loco præterire optimum duximus.

3. Vivere ei licenter, probrosè & irreverenter non permissum, potest enim infamia notari, imo etiam proscriptione vel supplicio privilegio eximi. Hactenus De Cive Democratico.

ARCANA STATUS DEMOCRATICI.

Operæ pretium mihi visum est, hoc loco subungere quædam Arcana Democratica, quæ Philos. l. 4. Pol. 6. 13. Sophismata. Tacitus Artes; Hodierni Arcana Status, vocant. Plura autem recenset Philos. 4. Pol. 13. & 5. Pol. 3. 4. Quæ tamen mutatis h. t. Democratiis, non ubique accommodari queunt: Quapropter nonnulla ex illis, quorum usus in hodierna adhuc Scena durat, in medium producimus. Dividi autem illa optime possunt, in ea, quæ sunt ex parte Imperantium & ex parte Parentium.

Ex parte Imperantium, I. Noscere genium populi, & quibus artibus maximè capiatur. Tac. Ann. IV. 33. 2. *Noscenda est natura vulgi, & quibus modis temperanter habeatur.* Guilelmus certe Auriacus, plus hac arte Ibericas afflixit opes, quam ulla acie, dum nec majestate, nec satellitio gravis, popularitatis novitate animos omnium in se converteret. Qua arte quoq; commendantur à Livo. 6. 36. Sextius, Licinius, Fabius, artifices jam tot annorum tractandi animos plebis.

E

II. Non

II. Non admittere ad honores. 1. Nimum pauperes cum semper quibus opes nulla sunt, bonis invident, &c. & mutari omnia studeant. Sall. Cat. c. 37. egris oculis alienam felicitatem intueantur. Tac. H. II. 20. 4. Hi rebus demum turbatis alacres, & per incertissima tuti. Tac. H. I. 88. 5. Præsertim si obærat, & quibus afflictæ fides Tac. ibid. v. 2. 2. Ambitiosi, qui privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei nisi per discordias habent. Tac. Ann. II. 17. 2. Arduum Ergo est, eodem loci potentia ambitiosi & concordia. id. Ann. IV. 4. 2. Cæsar nisi summis in magistratibus versatus esset, nunquam Imperium in se trahere potuisset, quippe in Consulatu confirmavit Regnum, quod Ædilis cogitarat. Suet. in ejus aditata cap. 9. Pauperes insuper maculam illinunt aut contemptum amplissimo ordini, quando à creditoribus divexati exutique, dignitatem tueri non possunt. Ambitiosi vero turbulenti, & quibus nulla spes, nisi in rebus turbidis, quod rursus exemplum J. Cæsarum illustrat, qui comperta Syllæ morte, propere domum rediit, spe novæ diffusionis. Suet. cap. 3.

III. Populum non omnem simul, sed tributim convocare; Hoc tutissimo remedio consensus multitudinis attenuatur. Ann. 4. 46. 4. & 10. Non per se mobilis, ut mare, sed auctore nacta contagione insanit. Liv. 28. 27. 10. Ita illis divisus, quidam miscendi, qui eadem velle simulent, quo plus auctoritatis consiliis insit. Tacitus. Hist. II. 18. 3. Ut Pisander apud Thucyd. l. 8. plebis promiscuæ, paucos tamen ex eo seligendo, potestatem exsolvit, & quamvis populus antiquo more congregabatur, nihil tamen consultabat, quod non ipse in suis probaret. Nam etiam qui sententiam dicebant, ex ipsorum numero erant, nec nisi preparata oratione utebantur. Quamvis autem facile concedamus, Pisandrum modum excessisse, tamen hæc intra modum utiliter interdum adhiberi posse, haud diffitendum. Telecles etiam Milesius in sua Reip. administrandæ forma instituit, ut singuli vicissim, non omnes simul deliberent. 4. Pol. 4. Ita divisi facile disponi possunt. Vim etiam suam talia decreta nansciscuntur, sc. quod tributim plebs jussisset, populum teneret. Liv. l. 3. Verbis quoque populum demulcere solent Politici Democratici, quoniam verba hic plurimum valent. Tac. IV. 73. 2. δῆμον ἐκ τῶν ὅτων ἀγειν δεῖ

μάλιστα

μαλιστα, Populum auribus maxime oportet ducere. Plutarch. in Praeceptis
gerend. Reipubl. c. 14.

IV. Ut duriora & minus placentia, per Sacrorum Antistites persuadenda curentur. Omnes enim religione moventur. Cic. in Verr. Act. 4. cap. 5. Hæc enim fuit ratio cur veteres Reges, Sacerdotium quoque munus cum imperio conjungebant, quo scilicet major atque venerabilior esset illorum authoritas, & quidquid præciperent, Deorum jussu id facere crederentur. Et sane his usi & sæpe abusi sunt Politici, sc. ut

— facerent animos humiles formidine Divum

Lucret. l. 6. vers. 51.

V. Negotia minus placentia & invidiosa specie dilationis abscindere. Ita Terentilli acta dilata in speciem, re ipsa sublata. Liv. l. 3.

VI. Non multis servis stipulatum incedere invidiosum hoc populo, Horatius & Valerius apud Livium l. 3. Non pudet licitorum vestrorum majorem prope numerum in foro conspici, quam togatorum; imo & periculosum, nunquam certe Laurentinus Mædicæus, imperium in Florentinos adeptus fuisset, nisi illi Satellitio uti permisissent. Comminaus l. 1. c. 5.

VII. Illi quorum potentia formidabilis in libera Republ. specie honoris ablegari possunt; ne aut illos graviter puniendo, populum turbidum reddas, aut illorum potentia indulgendo, periculum Reip. struas. Ita Vitellius in Germaniam missus est, quo interim Resp. pacatior esset; Cn. Pisoni, urbanæ seditionis suspecto, Provincia Hispania ultro, extra sortem data est. Sueton. in l. Cas. c. 9. Quod arcanum & in Regno usurpatum, nam Tiberius nulla alia de causa Germanico Consulatum detulit, quam quo illum à cursu victoriarum abstraheret.

VIII. Homines turbulenti, impudenter loquaces, Tacito prave facundi, gravi pœna reprimendi sunt; Quantum enim eloquentia ad virtutem hominem accedendum valet, tanta quoque ejus vis, est ad vitia impellendum. Hi autem tales sunt, qui temperamentum Reipubl. convellere, consilia atque facta magistratus, sinistris suspicionibus atque interpretatio-

nibus, illudere, amant; Qui criminando Senatores, laxiusque libertatem interpretando, vulgi auram captant, atque ita populum, natura sua novi cupidum, præsertim si *libertas & speciosa nomina prætexuntur Tac. H. IV. 73. 7.* facile ad seditionem impellunt. Optimè autem huic malo obvenies, occasionem demendo, illorumque conventiuncula reprimendo. *Nocturnis enim colloquiis, aut flexo in vesperam die, dilapsis melioribus, deterrimum quemque congregantes, inserunt quærelas. Tac. Ann. 1. 16. 5.* De Catilina refert Sallust. illum universos, quos ante segregatim ad seditionem moverat, in abditam partem ædium segregatos, acri oratione accendisse. Referre huc etiam possemus, non tam Sophismata è Ratione Status Democratici, sed etiam peccata dominationis Democraticæ.

Ut privatas injurias vi magistratus ulcisci: *stimulat enim non raro privati odij pertinacia in publicum exitium. Tac. H. l. 33. 5.* Quod tamen valde improbandum; Crudelis enim animi oportet esse eum, qui, quos privatim lædere nequit, eos qui Imperii vel Magistratus ulciscatur. Elegans Oratio Tib. Grachi pro M. Fulvio conquerente de Æmilio Consule, quod privatas inimicitias regia via exerceret; sc. *suas privatas simultates pro Magistratu exercere boni exempli non esse. Reliquis etiam Senatoribus in tali casu inculcat; suo quemque judicio & homines odisse aut diligere, aut res probare aut improbare debere: non pendere ex alterius vultu aut nutu, nec alieni momentis animi circumagi: Liv. lib. 39.* Quanto prudentior Aristides, qui Themistocli valde adversus, cum tamen una in legationem missi essent, & ad portam urbis venissent; O Themistocle inquit, inimicitias paulisper hic deponamus, recepturi, cū redierimus *Lip. 3. Pol. 6. v. 7. in nota, Dignum certe tali viro factum!*

Plura ejusmodi in Reipubl. Atheniensis & Romanæ scriptoribus, modo tempus suppeteret, reperiri possent, hodiernis Democratiis haud inutilia, quæ Clapmarius aliique prætermiserunt. At nos hunc laborem aliis relinquimus, nescio an omnibus gratum!

DEO Sit Laus atque Gloria.



I.

*Florentissimo Dn. Respondenti
S. PP.*

EXternis in imaginibus, virtute paratis
Majorum, generis splendor honorque micat.
Sed si majorum sit imago recondita menti,
Atque atavorum animo sensa reposita tuo,
Queis ad virtutem graffati summa petebant,
Pulchrius & vero junctius hocce bono est.
Contigit hoc, *Francisce*, tibi. Tibi mente character
Mösiingeri abavi conditus, atque *Patris*.
Dulcis imago, animans ad civica dona, bonumque,
Flos populi quo se proferat usque magis.
Horsum illi iverunt; tu jam vestigia ponis!
Civis Democrates monstrat id ipse tuus.
Illum agitatus imaginibus scripsisse paternis
Crederis; hinc, ut ii, sic tu eris egregius.

boni ominis votique s.

Joh. Georg. Dorscheus D.
Acad. h. t. R E C T O R.

II.

Quod si primitia tales, quam larga sequetur
Mesis, Reifeisen, spes populi & Patriæ:
Ad patrios fasces his splendens artibus ibis,
Gratior & populo, si popularis, eris.

Amoris E. apposuit

Præses



III.

Eximio & Doctissimo Dn. Francisco

*Reißeissen / cognato & amico meo
plurimum dilecto.*

Quis libertati modus, & quæ munia civis
Parere & imperare quem leges jubent,
Ordinis ut ratio, & suffragia libera poscunt,
Justoque campus sola virtus ambitu
Quem regit: hîc *Francisce* tuus labor. O bone, perge,
Factis probare agenda, scripto quæ probas!
Sic, quos virtuti libertas debet honores,
Mandabit olim cum Deo & die Tibi.

*Robertus Kœnigsmannus Eloq.
Prof. publicus.*

IV.

Eximio Dn. Respondenti.

εὐχαρίρειν ; καὶ ὑγιαίνειν.
P.

Quæ Tua sit Virtus, Pietas, Doctrina, laborque,
Quanta sit & mentis vis generosa Tua,
Et quæ sint alia docto sub pectore dotes,
Quas divina Tibi gratia contribuit:
Hæc nobis de Cive probant Tua publica scripta,
Quæ doctè profers ex Sophia latebris:
Hic licet ex plebis numero sit, dignus honore est,
Iuxta virtutes, dignus & Imperio.
Hunc quoniam scriptis ad publica munia tollis,
Ad sua gratus idem TE quoque regna trahet.

honoris & boni ominis E.

Jacobus Becker / Med. & Chirurg. D.

V.

Pulpita dum scandis solennia, Amice, docendo
 Ut reddas cives meliores, ardua quæris:
 Sunt etenim multi ex illis, qui dogmata sana
 Doctorum rident, indigni nomine civis:
 Quos si principiis posses corrigere certis,
 Præstiteris multum, doctorum docta corona,
 Applausu magno tibi dicet carmine grates.

*Synceri affectus contestandi gratia fratri
 suo Consobrino hac apposuit.*

Johannes Marbach Arg.
 LL. St.

VI.

Hæc tænenus in lites se effudit turba Sophorum,
 Forma Reipublicæ, quæ sit adapta magis.
 Hic Democraticæ partes assumit, at ille
 Primatum Imperium suscipit atque probat.
 Ast Tu, (sed tacitè) quæ forma sit optima prodis,
 De Democratico Cive per ampla docens,
 Dum nunc præcipue præcepta salubria tradis
 In quibus hoc unum velle vidère mihi
 Ut queat ad summum conscendere culmen honoris,
 Atque Reipublicæ munera ferre sua.
 Primum hoc laudis iter, virtutum hæc semina prima
 Non sprevisse illud, quod pia praxis habet.
 Perge ita continue Musis inhiare diurnis
 Nocturnisque, animum condecorare studens.
 Tempore quo volites, laudata per ora virorum,
 Et qui vis possint dicere, cernite, hic est.

Ita Amico & contubernali suo desideratissimo animitus gratulatur.

Erhardus Kieffer.



Strassburg, Diss., 765A-52



f

Sb.

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

13063

CIVIS N^o 15.

72

DEMOCRATICVS

11

Annunte DEO TER. OPT. MAX.

PRAESIDE

1651, 10

Viro Plur. Reverendo, Clarissimo, Excellen-
tissimoque,

Dn. JACOBO SCHALLERO, SS. Th. Doct.
Philos. Practicae Professore celeberrimo, & Facultatis Philo-
sophicae h.t. Decano Spectabili, Dn. Patrono meo ac Fau-
tore submissè venerando.

SOLENNITER

In publico ingeniorum Theatro exami-
nandum propositus

à

FRANCISCO Reisseisen
Argentoratensi

ad diem 20. Septemb.



ARGENTORATI,

Typis JOHAN-PETRI ab HEYDEN.

clō Iōc LI,

6.

196